



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. V. Clausula utriusque Cruciatæ, Hispanæ, & Lusitanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

quatenus oppositas opiniones, sed ita est definitiva, ut frequenter dicat, se decernere, se definire, se declarare *irritum inane*, & *invalidum*, quidquid secus super his scienter, aut ignoranter attentetur: & confessiones sub opinione damnata faciendas, futuras invalidas. Tertiò, quòd utraque derogat quibuscumque consuetudinibus, & privilegijs alijs à Sede Apostolica concessis etiam expressione dignis, quæ his Bullis adversantur.

N. 29. Clem. X. in XII. Differunt 1. quòd Clementis X. Bulla dirigitur quasi tota ad Regulares, & in privilegia ab illis asserta, absolvendi vi eorù omnes, omnia, & ubique, etiam in Dicecesi, in quâ absolventur, approbati non sint. At Bulla Innocentij XII. dirigitur ad omnes Confessarios, sive seculares, sive Regulares: & in privilegium ab illis assertum, absolvendi omnes, etiam in Dicecesi, in quâ absolventur, approbati non sint; cum enim ab antecedentibus Pontificibus damnata fuisset opinio asserens, licere non approbato à Diocesano ubique absolvere; & licere approbato à quocumque Diocesano ubique absolvere, Doctores aliqui subinde negarunt, hoc vetari Regularibus, sed tantum secularibus Confessarijs, qui non gaudent Regularium privilegijs: hinc Clemens X. edidit Bullam, quâ negat Regulares tali frui privilegio. Rursus cum alij Doctores post dictam Clem. X. Bullam disseminare ausi fuerint, vetari quidem Regularibus ne privilegiorum suorù pretextu absolvant in Dicecesi ubi non sunt approbati; nulli tamen Confessori, sive seculari sive Regulari, vetari, ne ut *Cruciata* absolvat, ubi non est approbatus, dummodo à quocumque alio Diocesano fuerit approbatus: hinc Innocentius XII. compulsus fuit edere Bullam negantem, hoc vi *Cruciatae* licere.

N. 30. Differunt 2. quòd Clemens X. descendit ad plures particulares casus Regularium. At Innocentius XII. omnes alloquitur Confessores vi *Cruciatae* absolventes.

N. 2. Differunt 3. quòd Innocentius XII. plures adjicit censuras Theologicas contra opinionem tuentem, Confessores alibi ab aliquo Diocesano approbatos posse vi *Cruciatae* absolvere, ubi non est approbatus: similiter contra ita opinantes plures addit censuras poenales.

§. V.

Clausula utriusque Cruciate, Hispana, & Lusitana.

S U M M A R I U M.

Clausula Cruciate Hispana, n. 32.

Clausula Lusitana, n. 33.

Longè ampliora concedit Cruciate Hispana, ib.

Cum ex professo acturus, & pugnaturus sum pro Innocentij XII. Decreto, 32. necesse duxi præmittere clausulam utriusque Bullæ *Cruciate Hispanis*, & *Lusitanis* concessam, cui plures Theologi nixi sunt, inferendo quemlibet Sacerdotem à quocumque Ordinario approbatum posse vi *Cruciate* in Confessorem eligi, etiam in loco, in quo non est approbatus. En clausula *Cruciate Hispanicæ*: Item quò omnes, & singuli prædicti purius ad Deum preces fundere, & efficacius Divinum auxilium implorare possint, conceditur, ut possint eligere Confessorem *secularem*, vel *cujuscumque etiam Mendicantium Ordinum Regularem*, ex his, qui ab Ordinario; (& quoad Regulares, qui semel tantum approbati fuerint) & ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum, (etiam Sedi Apostolicæ, & in Bulla Cænæ Domini reservatorum, & reservatarum) plenariam indulgentiam, & remissionem, semel in vitâ, & semel in mortis articulo: aliorum vero Sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reservatarum, toties, quoties constiterint, absolutionem, & remissionem, mediante salutari penitentia, secundam culpæ indigentiam, obtinere, modo in casibus, in quibus necessaria erit, per ipsos, vel dato impedimento, per heredes, aut alios satisfactio fiat. Hæc Bulla Latina pro Hispanis apud P. Mendo disp. 22. de *Cruciate* Bulla.

En clausula *Cruciate Lusitanis* concessæ: Et ut purius preces Deo fundere, & eo efficacius Divinum auxilium implorare possint, quò magis a peccatorum vinculis absoluti, in his literis contenta adimpleverint: ut isdem omnibus, dicto anno durante, quemcumque Presbyterum *secularem*, vel *cujuscumque etiam Mendicantium Ordinum Regularem*, ex his, qui ab Ordinario; (& quoad Regulares, semel tantum approbati fuerint, in Confessorem eligere. Hæc *Cruciata* Latina pro Lusitanis apud P. No. gueira in *Lusitanæ Cruciate* expositione disp. 14. Porro manifestum est, quòd quamvis longè ampliora concedat *Cruciata Hispanis* concessa, quàm quæ *Lusitanis*, ut ex utriusque contextu liquet, & ostendit P. No. gueira d. 15. nam *Hispana* nullum ex se excipit in Bulla Cænæ casum; excipit autem *Lusitana* plures, nempe Hæresim, conspirationem in personam, & statum Romani Pontificis, falsificationem litterarum Apostolicarum, & supplicationem; nec non duodecimum, decimumtertium, & decimumquartum in Bulla Cænæ contentum: attamen in ordine ad nostrum punctum, nempe

cx vi

ex vi Cruciatæ quilibet Sacerdos approbatus ab Ordinario eligi possit ubique in Confessione, nullum omnino inter utramque Cruciatæ Bullam est discrimen.

SECTION II.

Advertenda.

S. I.

Aligua ex Tridentino.

SUMMARIUM.

Aut cuiuslibet Sacerdotis vi Ordinationis conferri potestatem absolvendi, n. 34.

Aut approbandum tamen ab Episcopis, nisi sit Parochus; & derogat cuique consuetudini, ibid.

Insignes Tridentini prerogative, n. 35.

Reges Catholici sunt Tridentini Protectores, imò omnes Reges, ibid.

Ad eos recurrere potest pro Tridentini defensione, ibid.

Nullus quantumcumque doctus, & laureatus, nisi sit approbatus, absolvere potest, n. 36.

Nec licite, nec valide, n. 37.

Sacerdotes vi ordinationis habent tantum potestatem remotam; vi approbationis habent proximam, ibid.

Tridentinum aut non approbatus reputandum non aptum, n. 38.

Derogat omni immemorabili consuetudini, n. 39.

Invalide unus Sacerdos non approbatus absolvit alium Sacerdotem, ibid.

Invalide Parochus suas vices dat Sacerdoti non approbato, ibid.

Cur Tridentinum dicat Sacerdotem approbandum ab Episcopis, n. 40.

Etsi Tridentinum unice dicat, Sacerdotem ab Episcopo approbandum, præciscendo an esse debeat diocesanus; autamen ex definitione Pontificum constat, Tridentinum intellexisse diocesanos, n. 41.

Ubi eadem rationis identitas in opinionibus, idem quoque damnationis motivum, n. 42.

Si hæc ratio perpensa fuisset, vix ulla opinio damnanda fuisset, n. 43.

Laxorum Interpretum argumentum, n. 44.

Scopus Tridentini est prospicere juri Episcoporum in Confessores sui gregis, ibid.

In Decretis non solus verborum sonus, sed finis notus attendendus, ibid.

Omnes opiniones circa confessionem à jure Episcopali se subtrahentes, sunt falsa, ibid.

N. 34.

Precipuum, quod præ oculis habendum, est Tridentini Decretum sess. 23. de Reformatione cap. 15. quod dicit: *Quam-*

vis Presbyteri, in sua Ordinatione, & peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones Sacularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur necessarium, aut alius idoneus iudicetur; & approbationem, que gratis detur, obtineat; privilegio & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Hæc Tridentinum.

Quamvis autem selectissima potest in N. Tridentini commendationem referre, satis superque erit illud attentè revolvere, prodibit illico Spiritus Divini Magisterium Ecclesiam suam instruens, quid credere, quid agere, quid fugere, quid reformare debeat. Satis quod refert Barbosa in collectione ad Tridentinum sess. 25. de Reformatione cap. 3. n. 2. Carolum V. in Germania, & Hispania curasse ut Tridentini Decreta recipere: Et idem à Philippo II. ejus Filio prelitum: & Hispaniarum Regem vocari Concilii Tridentini Protectorem, ad quem recurri legitime potest pro defensione eorum, qui in Tridentino continentur. Quin & de Reformatione cap. 20. n. 15. ait non tantum Regem Catholicum, sed supremos Reip. Catholice Principes esse Decretorum Concilii Protectores. Omitto Doctores copiose jura morem ab eo citatos. At, me iudice, quod omnem excedit laudem est, institutum Romæ Congregationem, ejus maxima cura est Tridentini Decretis invigilare.

Sed redeo ad Trid. Decretum. Ecce præ N. modo, per tō nullum excludi quemcumque ab Episcopo non approbatum; ergo nullus, et si Regularis, et si Theologicus, & juris Canonici laurea celeberrimus, si ab Episcopo approbatus non sit, aut Beneficium Parochiale non habeat, absolvere potest. Lege P. Sarr. tom. 4. in 3. p. d. 28. sess. 5. & 6. P. Fagund. lib. 2. Ecclesie Præceptum lib. 7. c. 3. Card. de Lug. d. 21. de Pœnit. & alios passim. Porro per Beneficium Parochiale seu Curatum venit Beneficium curæ animarum conjunctum, seu, ut alij, venit Beneficium cum jurisdictione ordinariâ, ut ait P. Sarr. l. c. sess. 4. n. 21. P. Fagund. l. c. n. 41. P. Barti p. 2. tr. 5. cap. 2. n. 4.

Ecce 2. per tō non posse decerni à Tridentino, nullum absolvere posse nec licite, nec valide, nisi sit ab Episcopo approbatus: ex- cipe semper qui Beneficium Curatum habent ex gr. Parochi in sua Parochia, Episcopi in sua Diocesi, & Prælati Regulares copii in sua Diocesi, & Prælati Regulares maiores quoad suos subditos. Ita P. Sarr. lib. 6. de Matr. d. 38. n. 20. Bosius de triplici